

nostro Dionisio bano totius Sclauonie et aliis regni principibus, nostram hanc intentionem et uoluntatem unanimiter approbantibus, nostrum propositum perduximus ad effectum, concedentes, ut in predicto monte libera ciuitas fiat, hospites libere conueniant, terras et possessiones conditiones et libertates a nobis assignatas et subscriptas habeant, teneant et custodiant inconcussas. Conditiones itaque et libertates hospitem predictorum, in predicto monte habitantium et conuenientium, quas ipsi inter se fecerunt et nos approbauimus, tales habentur. Quod si iidem hospites in districtu Hungar., Dalmat., Choroat. (sic), Sclauon. spoliati per latrones uel alios malefactores fuerint, dominus terre, in qua spoliati fuerint, estimata quantitate pecunie, iuxta arbitrium bonorum virorum et sacramentum conciuum, ad hoc electorum, uel ablata refundat, uel malefactorem ostendere teneatur. Item tributa, infra regales terminos, in nullo loco soluere teneantur. Item quiscunque ciuis alium ciuem uituperiis, obprobriis, aut contumeliis affecerit, si inde conuictus fuerit, leso decem pensas, in communes expensas centum denarios soluat; quod si post trinam correctionem se non emendauerit, rebus omnibus in commune applicatis, tamquam infamis de ciuitate turpiter expellatur. Si quis etiam alapam alteri dederit, uel per crines maliciose traxerit, eandem penam patiatur. Si quis uero cultello, gladio, lancea, aut sagitta, aut aliquo tali modo alium uulnerauerit, uulneratusque sine defectu membrorum resanatus fuerit, medico lesi satisfaciatur, et leso uiginti quinque pensas, quinque uero ad vsus ciuitatis persoluat; si uero in aliquo membrorum debilitatus fuerit, medico lesi satisfaciatur, et leso decem marcas, et ad vsus ciuitatis decem pensas soluere teneatur; si uero mortuus fuerit, due partes rerum suarum cedant Parentibus occisi, tertia pars ciuitati; si uero captus fuerit, secundum consuetudinem de ipso uindicta sumatur; nisi quis in ludo sine premeditata malitia aliquem interfecerit: in hoc enim casu centum pensas agnatis interfecti, uiginti uero pensas ad communes usus refundat interfectori; cui si facultas non suffecerit, ciuium arbitrio relinquatur. Item si quis de extraneis intrans ciuitatem siue in uico, siue in domo, siue in foro similia ut supra notatum est perpetrauerit, per iudicem ciuitatis iudicetur, et eisdem penis subiaceat condempnat(us). Si uero ex incolis ciuitatis aliquis siue extraneus infra terminos ciuitatis in furto uel latrocinio deprehensus fuerit, per iudicem ciuitatis puniatur. Item si quis extraneus aliquem de ciuitate in causa pecuniaria uel illata iniuria uoluerit conuenire, coram iudice ciuitatis conueniat, et nulla causa ad duellum iudicetur, sed per testes et iuramenta terminetur, siue sit cum extraneis siue cum indigenis. Testes autem eiusdem conditionis et libertatis, cuius fuerint isti, assumantur. Eodem modo siue extraneus conueniat apud incolas, siue incola apud extraneos equum aut bouem aut aliquas res furtiuas, semper testes ut supradiximus producantur. Item ciues de predicta ciuitate uel Jobagiones de uillis ad ipsam pertinentibus, que prope territorium ipsius ciuitatis fuerint site, nullius iudicium(isi) iudicis ciuitatis astare teneantur. Quod si iudex suspectus habebitur, et actor legitimam causam recusationis allegauerit, conuocatis omnibus maioribus ciuitatis ipso iudice presente negocium decidatur, de quorum sententia si adhuc contingeret dubitari et actor inportunus eos ad regis citauerit presentiam, solus iudex pro aliis omnibus ad regem ire teneatur. Eodem modo pro quacumque causa iudicem ciuitatis et ciues, uel ciues solos ad regis presentiam quis citaret, non tenetur ire nisi solus iudex ciuitatis. Et si quis aliquem ciuem uel ciues, non requirens antea iusticiam sibi fieri a iudice ciuitatis, ad regem citauerit; pro